



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 5. Politia Valliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 5. *Politia Valliæ.*

IN ea partem insulæ compacti sese tutati sunt fortiter Britanni, & plerumque Anglos malè mulctarunt: adeò ut Offa Rex Meriorum eos à suis finibus prohibere coactus fuerit Vallo, cuius vestigia etiamnum videntur, & dieuntur vulgo *Claud-Offa*, hoc est *Fossa Offæ*.

Remansere ergo Valli sui iuris sub Regibus suis, atque Principibus usque ad Henricum III. Angliæ Regem, cuius filius Eduardus primus *Valliæ Princeps* nominatus est. Eius enim auspicis bellum Vallicum profligatum est, cæso Vallorum Princeps Leolino, & hæc Regio Angliæ contributa; ita tamen ut seruaret leges suas, quæ demum regnante Elizabetha abrogatae sunt, & earum loco Anglicæ subrogatae, ita postulante Pananglio, cum iam sub Henrico VIII. Monumethensis Comitatus à Vallia reuulsus esset, & Anglicis ditionibus annumeratus.

§. 6. *Lingua Vallorum.*

LINGVA antiqua Britannica, in tres dissipata regiones Valliam, Cumbriam, Cornubiam, in duabus postremis ægrè constitit, in Vallia perdurat, & consistet nisi per Anglos steterit qui cam exterminare moliuntur.

C A P V T III.

Scotia.

DE hoc Regno sex quoque consideranda offeruntur; Nomen, Quantitas, Qualitas, Lingua, Mores, Politia.

§. 1. *Nomen Scotiae.*

NUCANTVR qui hoc nomen deducunt à filiâ Pharaonis, aut à Græco Σκοτίᾳ quod ex furto concepti sint, aut voce Saxonice *Scot* quæ aceruum sonat, quod ex multis populis concreti sint. Nam ita dicti sunt à voce *Scutten* quæ *Seytham* significat, quia mo-